Leszczyński Jos. Joan: Ludi solennes —

LUDI SOLENNES
INCLYTO HONORI
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI
D. MARTINI
IN ZAMOSCIE
ZAMOYSKI
PALATINI LUBLINENSIS
BELZENSIS, PLOSKIROVIENSIS, &c. &c.
CAPITANEI.

Circa faustissimum dicti Palatinatûs ingressum,
Per Alumnam & Clientem Universitatem Zamoscen:
Operâ

M. Sebastiani Ioannis LESCZYNSKI Phil: Doct: Eloquentiæ ibidem Ordinarij Professoris, Canonici Zamoscen: Parochi Wieloncen:

EXHIBITI.

Annō ludentis in Virgineo gremio Sapientiæ.

M. DC. LXXX II. 16. Decembris

PRÆLVDIVM.

FAvete linguis: ſcena panditur grandis.
Non fabularum baiulos vetuſtarum
Faſtidioſis ſuſcitamus Orcheſtris.
Non hîc Tragædus eiulat cothurnatus,
Atreiq; menſas execratur infandas
Horrens Thyeſtes: non furentis Alcidæ
Niſus feroces proritat ſenex orbus.
Priamiq; coniunx hoſtium incitans iras
Finit canino dira verba latratu.
Procacium nec conciens cachinnorum
Diſtortus humili prodit Æſopus ſocco.
Duoſq; Plauti Soſiam, togatorum
Rident catervæ: Pſeudoliq; fallacis
Eluſus aſtu, Ballio Hiſtricus plorat.
Geminumq; Caſina excipit procum pugno.
Sed grata Magni gloriam PALATINI
Thalia pandens, Gentis inclytæ flori
Monſtrare geſtit: quæve complet immenſum
Orbem Polonum, gratijs trophæiſq;
ZAMOSCIARVM gloriam Sariſſarum, hæc
Aulæa celant: euge Lechici Martis
Invicta proles! Patriæ Camillorum
Cœtus: quietis arbitriq; Bellonæ,
Oracla Conſi, Stemmatum vetuſtorum
Propago, ſpeſq;: luſibus Camænarum
Noſtri favete Dramatis: benigniſq;
Fulgete radijs, ſidera Orbis Arctoi!
Sic vos micanti gloria inferat Cælo,
Et fauſtitatum Eteſiæ in dies aſſlent,
Certantibuſq; perſonent choris Muſæ.

LVDORVM SOLENNIVM

SCENA.

Remitte aliquantum ſevera pacis ſtudia,
Lechiæ Areopagus Lublinum.
A litigijs ad Ludios nonnunquam diverſio eſt.
à ſerijs, ad ſerias.
Iuſtitiæ ſolium, lætitiæ theatris locum mutuetur.
Argumentum Scenæ eſto
Sarmaticarum Vrbium nobile Sympoſium,
ZAMOSCIANO Honori adornatum
cuius Tu Architriclina & Præſes.
Inter lautitias, multiplici menſam venatione inſtruens
Prima ſuum Primatem celebrat, Vrbium Princeps,
Sarmatiæ nidus GNESNA.
Sacras ZDISLAI ſanctiones, antiquas nec antiquatas,
Sacrario ſuo aſſervans.
Eccleſiæ Polonæ primus hic Solon, & Lycurgus,
Haſtis Gentilitijs, Domum DEI ſuffulſit.
Et quia Infulata hæc Scena eſt;
certatim Płocia Thomam, Cracovia Florianvm, Chełma Georgivm, Premislia Baptistam,
ſuos Antiſtites congeminant:
Priſca & nova SARIANÆ Domûs cimelia.
At opulenta Cereris dona inferens POSNANIA,
IOANNE Mareſchalco præeunte.
Vberem ſecuritatis quondã ſuæ meſſem,attribuit PEREGRINO,
Poloniæ Maioris Generali.

 Sub

Sub quo exactis malis, pax priùs peregrina, mox inquilina,
suis turribus dedit abundantiam.
Extremis mensis Pomonæ delicias inferens
Capua Trionis Sendomiria,
PETRI & THOMÆ Castellanorum, IOANNIS Palatini memoriã
Florum fructuumq; grandine perpluit.
Assurgit tandem turrito vertice Maiestatem spirans
Magna Vrbium Mater CRACOVIA.
Auro argentoq; nativis, mustiferæ succum viciniæ propinat,
Divæ ZAMOSCIORVM memoriæ.
Summis Præsidibus suis, imò præsidijs
THOMÆ tranqvillitatem acceptam referens,
vitam, & libertatem, MAGNO IOANNI.
Plura memoraturam, Martius excepit fragor,
Roxolanarum Vrbium deliciæ simul ac vindiciæ,
mortis instrumenta, in vitæ auspicium explodens.
Non alia qvippe pugnacissimæ genti hilaritas est,
qvam belli aut simulacrum, aut res.
Si qvando tamen tormentorum tonitrua intermittunt,
Applaudit LEOPOLIS VENCESLAO, CHEIMA STANISLAO & IOANNI, CZERNIECHOVIA ZDISLAO,
KIIOVIA STEPHANO.
Hæc Scenæ facies.
Plaudite.
Dicturus eras Rosci: sed serò
Ito, & siparium adducito.

LVDORVM SOLENNIVM ARENA.

Fruimini iam Sole vestro Illustres Vmbræ
scitè fabulam egistis.
Detractâ mortalitatis personâ, virtutum laticlavio insignes,

Posterorum vos præesse certaminibus iussit,

Magnus Orbis Choragus.

Nemo æqvior Vobis arbiter,
qvi toties Patriam oleâ coronastis, & apio.
Asperam sane mortalitatis sortem,
Herculeo ritu ordiri labores á cunabulis.
Vix firmare docti vestigia,
fatali instratum arenâ intramus in Gymnasium:
siue intrudimur.
Ipso in vestibulo alteruter excipit luctator,
egestas aut voluptas.
dolosus vterq;
Antagonistam aut supplantando, aut elevando, affligit.
Geminam hanc syrtim paucis prætervehi datur:
naucleroru vel inopiâ vel incuriâ.
Mox robustior adversarius offert pancratium:
nunquam sine sudore, raro sine sanguine vincendus.
Nomen ne quæras,
varium & multiplex malum est:
nec aliud quam malum.
Postremum cum saltatrice Fortuna discrimen:
persequenti iuxta ac retinenti ambiguum.
Hæc fallacis Protei æmula,
citò arridens, infida; serò veniens, intempestiua:
abiens semper intempesta.
Illam si non assequaris, iacendum est: si malè tenueris; cadendum
Triplicem hanc arenam, magnis Magistris, & spectatoribus, feliciter emensus es ac fortiter,
ILLVSTRISSIME PALATINE.
Gemino ex luctatore,
alterum Natalium splendor, alterum Virtus submovit.
Magnis debitas certaminibus vires
Palladij nostri primum oleis firmâsti.

B Vernanti

Gratulao, novi honoris, Perillustri et admodum Rendo Dno D. Skotowski Scholastico Lublinensi Curato Leopoldiensi dum auspicato ad Ecclesiam Kodlensem Praepositum Produceretur ab Andrea Skotowski submissionis pensionis ergo oblata.

Vernanti Musarum Lycæo, ver iuuentæ inaniter absumi,
Bovis vox, non hominis.
Stoæ porticus Tibi obitas non obiter,
magnum insigni ex facundia documentum:
maius ex prudentia:
ex affectu in literas maximum.
Pancratium certamen gravius, sed illustriori coronâ
animosè absolvisti.
nisi qvòd non solus:
nempe amplo Virtutum cinctus satellitio.
Quidqvid aut in Cœlum os, aut in Patriam manus posuit,
Hostis loco habens
hæc fugando, illa fugiendo,
vtrinq; victor redijsti.
Saliares Fortunæ ludos, Tua elusit Constantia, Virtus elisit.
Dolosi Numinis congressũ non aspernatus,
ubi semel duxisti in triumphum,
Moderationi numis & pedicis impediendum tradidisti.
Vnica hæc cohibendæ volucri Deæ cavea.
Talem Te triplici ex certamine victorem,
læto Pæane Iudicum agmen consalutat.

LVDORVM SOLENNIVM
VENATIO.

SAtis iam profundo indulsistis sopori
SARMATICI PROCERES.
Venietia discrimina qviescendi veniam negant Venatoribus.
Heus concussis tympanis, somnum discutite!
Campus Poloniæ feris insessus,
illarum importunitate, venandi opportunitatem importat.
Io! Io! turmatim progredere sagax turba.

Non

non multâ indagine opus,
vbi cruenta vestigia immanes produnt belluas.
Eheu quanto sanguine Horizontem depinxit
Roxolanus Oriens!
Qvanta ovilium ruina! qvanta ovium strages!
Non ferinæ tantùm fami, sed feritati qvoq; litatum,
iacentia loqvuntur cadavera.
Qvam tamen ô Superi! bestiam dicam?
Lupulum. imó lupum.
Obducite retia: expedite molossos: arma educite: En est!
Fugitisne (ô pudor !) ante vulnera ?
Indignum facinus! nostra pusillanimitas bestias animat.
Vt disiecta proculcant retia! vt venabulis insultant!
Exuvias venatorum, suas faciunt induvias.
Lustris eductæ, illustribus in Palatijs lustrantur.
Ipsos venari audent, aventq; venatores.
Qvin repetiti shorribile classicum?
Canes iterum: retia iterum: arma iterum!
Nunc animis, nunc firmo opus pectore.
Ne deserite vestrum manipulares MANIPVLVM:
auro amisso, fortius ferrum substituite.
Si dimicandum erit,
Sunt vobis CLYPEI, SOLEÆ, SARISSÆ, SAGITTÆ.
Si abdita excutienda,
LVNAS habetis, & SIDERA.
Lycantroporum incantamina vana, & ridenda,
CRVCES averruncabunt.
Hem vobis collectam belluarum colluviem!
Assilite, cædite, capite, vincite, vincite: bene est.
Elapsas pòst qværemus, ni finibus dilabantur.
Io Pœan!
Sed Litvanus intonuit lituus: qvid est?

Astutarum vulpecularum agmina explicuit,

Borealis Hyæna:

atrox animal, & subdolum.

Imusne qvá rubens iter monstrat Vilia?

vel patentes in Russiæ campos evocabimus?

Favistis Superi: capta præda est. nec semel.

Verum Cudnoviensi in acie,

novum fortitudinis & Fortunæ Polonæ prodigium,

imbellibus tutiùs insidiaturas gallinis animantes,

à limitibus submouit.

Ecce autem interiori non visa Poloniæ fera

comantes iubas concutit: supernè hirta, cætera succincta:

longâ tellurem caudâ verrens.

qvanti rictus, ac rugitus!

qvantæ dentium serræ!

Leo est qvis non timebit,

O fatum! iam marium & mœnium claustra perfregit.

Majorem Poloniam maiore vi, qvàm metu percurrit:

Minorem majore impetu aggressus, grassatur.

Etiamne Craci Filia peiorem recipit Ritigerum?

(sed lapsus sum, Leonem dicere debui.)

Prô sancta fides! vbi Sacra, Vrbes, Templa, Religio!

singularis ferus depastus est ea.

Claromontanâ tamen è specula signum prolatum,

Roxolanum Finnico, Leonem Leoni obiecit.

Post effractas grandes qvidem, sed minùs firmas caveas,

Zamoscana claustra expavit.

Melioribus dein auspicijs redintegratur venatio:

comperto, bestiam cedere, & cædi.

Maritimum monstrū vincendi media,

Flumina & Naves primùm monstravére:

donec illud nostris ruinis obruimus.

Reficit

Reficite parumper affectas vires, venatores:
Immanem aprum Ottomanum video:
Christiani Orbis laborem, ac labem:
Non ferum modò animal; sed fœdum, ac fœtidum.
Arabicos primùm odores tetrâ spurcavit illuvie.
Asiæ candorem immundo accubitu infecit.
Græcorum porticus & Prytanæa, horrendâ proboscide subruit.
Vicinæ Hungariæ vineta, exterminavit.
Avertite hanc a Poloniæ polis pestem Superi!
Sed iam Podoliæ vallibus infusus,
saxeas quoq; moles suffodit,
& ex Aris haras fecit.
Iacienda semel alea est, ô Socij!
Perijmus, si non pestem hanc perdidimus.
Satis superq; mali est, vicinum malum:
compendium calamitatis, intimum.
Vbi necessitatem nec inclinare fas est, nec declinare;
omne in Te ipso præsidium.
Exoticis catellis ad voluptatem venationis vtimur:
Aper nisi nostris cadet venabulis; occisa res est.
Iam prisca virtutis Polonæ spelæa insedit:
& quia nostra; noster est.
Cecidit ad Chotimensem Marathonem, Meleagri felicioris virtute
Calydonius Vastator.
Io victor! io Pœan! io triumphe!
Heroum hæc ludicra, horrentes delicias,
dignum Martijs Sarmatarum animis spectaculum,
non otiosus spectator sed Actor auxisti.
Magne PALATINE
Sæpè ad discrimina primus: semper inter primos.
Sariana Domûs Tuæ venabula,
Insignium ferarum cæde, sanguine, exuvijs, decorans.
Nullum certius alti sanguinis indicium est:
quam dum Patriæ libatur.
C hunc

hunc qui asserendæ Fidei consecrat,
Fidei imò DEI consanguineum dixero.
Sed iam digniora succedunt spectacula.
Si modò dignius est; honores habere, quàm mereri.

LVDORVM SOLENNIVM
AGON.

Expectatos avidè, spectatosq; Romanis Circenses,
non invidemus.
Prasinæ Venetæq; factiones,
Cæsarum ad crudelitatem vsq; deliciæ,
nihil aliud quam inanes sunt colores.
Hastati Equitis sacratior cursus est
Ad Gloriæ metam.
Apage Sinonios Lescorum dolos,
indignos & non inultos!
Cataphractus noster, honores hostiliter nunquam persecutus,
tanquam domesticos, vltrò domum delatos, excepit.
Post immolatas tot Patriæ hostias,
Leopoliensis Subdapifer.
Exhaustum Provinciæ penu, divite consilij peculio, supplevit.
Mox Castellanus,
Vt Orientalibus piratis, totum Patriæ portum clauderet,
alterum eius Castellum,
Leopoli, Zamoscium adiecit.
Dignam proinde tanti corporis Motricem Intelligentiam,
Vt primæ inseretur Hierarchiæ,
Primus Poloniæ Motor censuit.

Hinc summa Palatinatûs decora
minimè ambitiosus Palatij obsessor,
facili celeriq; ascensu, comprehendit.
Non soli natus Marti MARTINVS
bellicâ laude præeunte BRACLAVIENSES
conscendit Curules.
Pietate, ac Prudentiâ succollantibus,
LVBLINENSE Iustitiæ Capitolium ingreditur.
Illam qværis? Zamoscanas Aras qværito.
perennem eius Pietatis arenam.
Hunc ad Lydium lapidem probata consilia,
DEI Patriæq; causam respiciunt:
vt suus Solem flos.
Nullam in vetustis mucronibus hæsisse ferruginem,
oculatissimæ testimonium Maiestatis.
In adamantino hoc SCVTO,
verus cuilibet menti redditur color.
Hæc catena est, Sarmatice Hercules,
qvæ tot plausus post Te attraxit.
Veneratur in Te Sacrum Tribunal,
sui Tuiq; Ordinatoris
augusta Magnæ mentis lineamenta.
Iustitiæ lancibus statio erit securior,
cùm Lanceis Tuis firmabuntur.
Civis Optimus, Civium affectus facilè adeptus es:
qvem ipsa humanitas, supra hominem commendat.
Nulla fortior expugnandis affectibus catapulta.
Eô levior est affectata gravitas, qvò altiùs extollitur.
Omnis illi ex pondere commendatio,
qvod in ima tendit.
Nescio tamen an vberior Tibi gloriæ proventus,

ac ex Patrocinijs literarum.
Cætera quæ ambimus, Fortuna debilitat: mortalitas delibat:
diplomata Musarum æterna sunt.
quibus meliùs Alexandri stant & Traiani,
qvàm potentiâ steterunt.
Hæc Tibi Vniversitas Tua, ex se polliceri non potest:
ex Te non operosè auguratur.
Domûs Zamosciæ pupilla, Te plusqvam Parentem nacta,
pupillæ instar asservatur:
sed sine supercilio.
Seqvimur ascendentem votis & vocibus.
Gratulatorum postremi, gratorũ (pace dixerim) nemini secundi.
Fortunam Tibi apprecaremur,
sed Fortunæ debes nihil.
eâ invitâ, meliore virtutum suffragio,
Majorum amplitudinem exæqvâsti:
majoribus destinatus, qvia par.
Hæc desiderijs Tuis meta esto,
qvamlongissimam homini Natura;
hæc Famæ,
qvam perennem Virtuti Immortalitas
POSVIT.

Ex Libris Samuelis Joannis Podgurski